Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 169
Quelle:
Copyright:

Sententiis CCXLI. et incipit: *Auem in ſomnis qui uiderit & cum ipſa pugnauerit, litem aliquam ſignificat. Aſinum uel bedum uiderit, crementum negotii ſignificat. Aui aliquid rapuiſſe, damnum ſignificat.* &c. Extrema ſunt: *Cepas in ſomnis uidit, oculorum dolorem ſignificat. Zona aurea cingere inuidiam ſignificat.* In Alphabetum quodammodo redactae ſunt Sententiae, ſed quod pluries ad caput redit.

IV. *fol.* 129. p. 2. *Haec Sunt Sortes Sanctorum Quae Numquam Fallunt Recta Scrutantes Si Cum Jejunio Et Oratione Peraguntur.* Iſtud videlicet collyrium ſolet oculis rudium illini. Duae Series ſunt Oraculorum duabus ſanis *Orationibus* ad Deum, quarum prior *S. Martini* dicitur, interceptae. Nec in ipſis Oraculis aliquid improbi. Ita autem ineunt: C. C. *Animum tuum nunc dubitantem eſſe uideris. ſed poſtmodum deo adiuuante perueniet, ubi, & obtinebis, quae cupis.* V. *De quo conſules, crede conſtanter, quod peruenit ad te, quod ſperas.* IIII. *De quo cupis, deum interrogas. Ipſe te adiuuet, ut perueniat, quod deſideras.* &c. Numeri praefixi, ut puto, ex urna quadam a conſulentibus temere protrahebantur, quo facto illis promulgabatur Effatum. Tò *Sanctorum* titulo additum callidis ſuperſtitionum patronis inſtar ſcuti ſerviiſſe videtur, quo tela a tot Patribus et Synodis in Sortilegium conjecta exciperent.

Ad Codicem intus conveſtiendum adhibitae ſunt Laciniae *Computus Bedae* eod. Seculo ſcripti, et in fronte praeter alia inania legitur: *Anno domini Milleſimo Trecenteſimo LXXIII. in die Antonij conf. per manus Fridrici wiſtalarij de ſalczburga.*

CXII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 37. 4. per duas columnas minutius, ſed nitide ſcriptus, rubricis, literisque initiorum picturatis diſtinctus, et *Neapoli ex Archivio SS. Apoſtolorum, Clericorum Reg. vulgo Theatinorum* a. 1716. ad nos translatus, ut praevie teſtatur *D. Euſtach. Caracciolus*, hoc titulo miniato gaudet: *Incipiunt yſagoge petri monachi in theologiam. ex dictis ſanctorum patrum.* Unicus Autoris ſcopus eſt, oſtendere, quotuplici ſignificatu Vox quaelibet biblica venire poſſit. A *Deo* exorſus per *Angelos* et *Regnum Dei* ad *Hominem* delabitur, quem membratim et paene ἀνατομικῶς recenſet, tum ejus aetates, ſexum, generationisque reſpectus pervadit, donec Codex in vocabulo *Soror* abrumpatur. Liquet hinc, vaſtum ſane Opus fuiſſe, ſi modo illud *Petrus* pertexuit. Quis vero ille? Novi, *Petri Pictavienſis Allegorias ſuper V. et N. Teſtamentum* ferri a *Lelongio, Oudino, Fabricio;* at is *Monachus* non fuit. Aetas illi Sec. XII. non anterior; *Brunonem* enim Sec. XI. Scriptorem ſaepius excitat. *Gregorius* M. et *Caſſiodorus* praecipui ei fontes; legas tamen et *Hieronymum, Auguſtinum, Jobannem Os aureum, Rabanum, Paſchaſium,*

R 53.